



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Conclusio V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN  
quotidie minuatur per renouationem mentis de die in diem.

Quarto, saltem pœna mortis manet in oïbus, timor etiã mor-  
tis, certe pœna oïm penarũ, & ipsa grauior morte, in plurimis,  
ut taceã de timore iudicij & inferni, de tremore cõscientiã &c.

CONCLUSIO V.

Papa non uult, nec potest remittere ullas pœnas, præter  
eas, quas uel suo, uel Canonum arbitrio imposuit.

HANC disputo, & doceri humiliter peto, & ut in præfatiõ  
rogauit, ita adhuc rogo, manũ porrigat q̄ p̄t, & mea motiua at-  
tendat. Primo colligamus ḡna pœnarũ, quas fideles p̄t pati.

Prima est æterna, gehenna damnatorum: de qua nihil ad pro-  
positum. Certum est enim, quod hæc nec in summi, nec infimi  
Pontificis potestate est, ut omnes in tota ecclesia tenent, quam  
solus deus per remissionem culpæ remittit.

Secũda est purgatorij, de q̄ infra uidebimus in sua cõclusiõ, in-  
terim accepimus nõ esse eã in potestate Põtificis, aut ullius hoïs.

Tertia, ipsa uoluntaria & euangelica, de qua supra dictum est,  
quod eam opere pœnitentiã spiritualis, secundum illud, i. Cor.  
xi. Si nos ipsos iudicemus, non utiq; iudicemur a dño. Hæc  
est crux illa & mortificatio passionũ, ut supra Concl. iij. Cum  
aut hæc sit præcepta a Christo, & de essentia pœnitentiã sp̄ialis  
ac oïno de necessitate salutis, nullo modo est in potestate ullius  
sacerdotis, neq; ut augeat, neq; ut minuat. Non enim ex arbitrio  
pendet hoïs, sed ex gratia & ipiritu, imo hæc pœna minus est in  
potestate Papæ, q̄ omnes aliæ pœnæ cuiuscũq; noïs sunt. Siquis-  
dem æternã, purgatoriã, afflictiuã, saltẽ oratione potest tollere a  
pud deũ, sicut p̄t gratiã iustificantẽ impetrare peccatori. Hanc  
aut nõ potest tollere, nec oratiõ quidẽ. Quin potius eam debet  
impetrare peccatori & imponere, i. impositã nuntiare, non mi-  
nus q̄ gratiã impetrat, alioquin euacuaret crucem Christi, & reli-  
quias Cananæ orũ copularet filijs & filiabus suis, & hostes dei  
(idest, peccata) nõ occideret ad internicionẽ, nisi uideret aliquos  
nimio feruore plus sese affligere, q̄ expediret, eorũ salutis, & alio-  
rum necessitati. Tunc non solũ remittere, sed prohibere debet, si-  
cut sanctus Paulus Timotheo dicit. Noli adhuc aquã bibere &c.

Quarta est Castigatoria, & flagellatio dei, de qua Psal. lxxxix.

## DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

Si aut peccauerint filij eius, & legē meā nō custodierint, uisitabo in uirga iniquitates eorū, & in uerberibus hoīm peccata eorum

Hanc pœnam extra manū esse Pontificū quis dubitat? Quandoquidem sese innocentibus eam dicit imponere Hierem. xlix. Ecce quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes. Et eiusdem. xxv. Ecce in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere, & uos quasi innocentes eritis: nō eritis innocentes. Inde B. Pe. i. Pe. iij. Nunc tempus inchoandi iudicium a domo dei, quod si primū a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euangelio? Apo. iij. Ego quos amo, castigo. Et Heb. xij. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quod si summus pontifex hanc remittere uellet, aut peccator remitti crederet, certe futurū est, ut adulterini & spurij fierent, ut Heb. xij. Si extra disciplinā estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis. Hanc enim Ioan. Bapt. & sanctissimi pertulerunt. Admitterem tamen per orationes ecclesiæ posse tales aliquas pro infirmis tolli, scilicet morbos, ægritudines, pestes, febres, sicut B. Iacobus docuit presbyteros ecclesiæ induci, & ungi infirmum, ut dominus eum alleuiet infirmū propter orationem fidei. Et quid moror? quasi ulli Christiano dubium sit, flagella dei non potestate clauium, sed lachrymis, & oratione tantummodo posse tolli, & magis per impositionem aliarum pœnarum, q̄ per remissionem. Sicut Niniuitæ pœnitentias suas humiliter sese affligentes meruerunt auertere flagellam subuersionis eis intentatum. Alioqui si sacerdos ecclesiæ siue summus siue infimus, potest hanc pœnam potestate clauium soluere, pellat ergo pestes, bella, seditiones, terremotus, incendia, cædes, latrocinia, Item Turcas & Tartaros, aliosq; infideles, quos esse flagella & uirgam dei, nemo nisi parum Christianus ignorat. Dicit enim Esa. x. Ve Assur uirga furoris mei & baculus ipse est. In manu eius indignatio mea. Licet plurimi nūc & idem magni in ecclesia, nihil aliud somnient q̄ bella aduersus Turcam, scilicet non contra iniquitates, sed contra uirgam iniquitatis bellaturi, deoq; repugnaturi, qui per eam uirgā sese uisitare dicit iniquitates nostras, eo quod nos nō uisitamus eas.

Quinta est Canonica pœna, scilicet ab Ecclesia constituta.

Hanc esse plenarium iure in manu summi Pontificis, non est dubium, sic tamē ut subsit (ut aiunt) iusta causa remissionis earum & clavis non erret. Verum ego (mea temeritate) illam iustam causam nō ita rigide acciperem, ut multi solent. Sufficere enim videtur pia uoluntas Pontificis, atq; hæc satis iusta sit causa, nec uideo quomodo in hac remissione error clavis cōtingat, aut si contingit, quid noceat, cum nihilominus salua sit anima, etiam si pœnæ eiusmodi per errorem non remitterentur. Illud magis aduertendum, quod summus Pontifex in remissione plenaria, nec omnes Canonicas pœnas remittit, quod patet, quia nō remittit ingressionem seu intrusionem quorundam in monasterium, quæ tamen pœna non incelebris est in Canonibus, sed nec Ciuiles, seu potius criminales pœnas a iure ciuili inflictas, licet id legati faciant alicubi ubi personaliter sunt præsentēs. Videtur ergo solum eas remittere, quæ de ieiunijs, orationibus, elemosynis, alijsq; laboribus, & disciplinis impositæ sunt, aliæ ad septennium, aliæ minus, aliæ plus. Et in ista pœna comprehendendo etiam, quā arbitrio suo imponit sacerdos ecclesiæ. Nūc itaq; uide & doce me qui potes. Quatuor priores non potest remittere, quā aliam remittit nisi canonicam, & arbitrariam. Iterum hic Leonte illa mihi oggannit, remitti quæ a iustitia diuina exigitur, uel in purgatorio est luenda. Cui & ego respondeo impijssimū esse sentire, quod Papa habeat potestatem mutandi ius diuinum, & id relaxare, quod iustitia diuina reflexit. Non enim dicit, Quodcumq; ego ligauero tu solues, sed quod tu solues, solutum erit. Non autem omnia ligata solues, sed, a te ligata duntaxat, non a me ligata. Illi uero sic intelligunt, Quodcumq; solueris siue in cœlo siue in terra, solutum erit, cum Christus in terra addiderit, dedita opera restringens clauem ad terram, futurum sciens, quod perforaturi alioquin essent omnes cœlos. Sexta est, Quam uolo fingere donec aliter erudiar, quam illi dicunt secundum iustitiam diuinam requiri, ut satisfiat iustitiæ diuinæ. Hæc autem si est alia a tertia & quinta (sicut oportet, si debet sexta esse) non potest uel imaginari, nisi quod ubi tertia & quinta non essent satis, tunc ipsa imponderetur, scilicet plus orationis, ieiunij, elemosynæ. Ac sic solo intentionis gradu distaret a quinta uel tertia, Non enim potest intelligi pœna ciuilis, quia

Aduersariū uocat  
Leontem  
hoc ē pel-  
lē leonis,  
quæ græ-  
cis ΛΕΟΝΤΗ  
dicitur.  
Nota est  
de asino  
fabula.

hanc (ut dixi) non remittit, alioquin literæ indulgentiarum tollerent omnia patibula, & carnificinas per ecclesiam. Sed nec potest intelligi pœna canonica per iudicium contentiosi fori de facto imposta, quia nō remittit excommunicationes, interdicta aut ullas censuras ecclesiasticas inflictas, ut patet satis ad experientiam. restat ergo quam modo fingere me dixi. Sed quod illa nulla sit, ut mihi ipse si persuadeo.

Primo quod nulla auctoritate scripturæ, doctorum, Canonum, ratione probabili potest doceri, talem esse aliquam pœnā & uehemēter absurdum est in Ecclesia aliquid docere, cuius nec in scriptura nec doctoribus neq; Canonibus, neq; saltem rationibus potest causa dari.

Secundo, quod si etiam esset talis pœna aliqua, nō tamen ad remissionem Papæ pertineret, cum sit uoluntaria & ultra canones imposta, immo nō imposta, sed sponte suscepta, quia est alia ab ijs, quæ imponuntur, ut supra dictum in pœna quinta.

Quod si diceres, Quomodo tunc satisficeret iustitiæ diuinæ, si quomodo Canonice uel sacerdotales non essent satis? Respondeo, abunde satis fit per tertiam & quartam, secundum mensuram quam nouit deus. Neq; enim legitur usquam deus aliquam requisuisse, nisi tertiam aliquando & quartam, ut in Dauid & filijs Israel in lib. Iudicum & Regum. Sed fere semper contentus est corde cōtrito & pœna tertij generis. Et hinc ego miror quorundam negligentiam, qui, ut satisfactionem astruant, dicunt, Christum absoluisse adulteram illam in euangelio sine satisfactione, Mariam uero Mag. non sine satisfactione. Et ideo in Maria non in adultera imitandum esse dominum, ut sine satisfactione nulli remittatur peccatum. Nam nec leprosos mundauit, nisi imposito, ut satisfacerent legi, & ostenderent se sacerdoti. Hæc ergo est illa pœna, quæ iustitia diuina requirit ultra iam dictas.

Sed respondeo. Ista adultera (meo iudicio) plus pœnarum tulit q̄ Maria Magdalena, & magis satisfecit. Nempe iam mortem patiebatur, non aliud uidens, nisi durissimum iudicium. ideo mire cruciabatur, & dolebat longe plus quam Maria, cui iudicium mortis non imminabat. Ideo de quarta specie & tertia fuit eius pœna, quia flagellū mortis tulit in corde contrito. Maria uero Magdalena in tertia specie pœnas luebat. neq; potest doce

## M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN

ri aliā fuisse eius pœnam, ut patet. De leprosis uero dico, quod non ad satisfactionem ostendere se iussi sunt, sed ad testimonium. Non enim erat lepra peccatum, sed significabat peccatum. Ostensio autem peccati non est satisfactio, sed iudicium quærit sacerdotis, ut hæc nota sunt satis.

Secundo probo cōclusionē sic. Illæ duæ potestates ligandi & soluendi sunt æquales & sup eandē materiā. Sed summus Pōrifex nullā habet ligare & imponere pœnā, p̄ter Canonicā seu quintā, ergo nec ullā soluere & tollere. Aut dicendū, duas illas potestates esse inæqualis latitudinis. Quod si hoc dicit, nemo tenet credere, quia nullis scripturis, canonibusq; probatur, cum sit clarus textus. Vbi Christus ligare super terram, & soluere super terram dedit, æqualiter utraq; mensurando & extendendo.

Tertio extra de pœ. & re. lib. v. c. Quod autem. expresse dicit, remissiones eis non ualere, quæ non fuerint ab eorum iudice factæ, cum nullus ligari aut solui possit a non suo iudice, Sed certū est quod homo nō est sub iurisdictione Papæ in i. ij. iij. vi. pœnis, sed tantummodo in quinta, ut clare patet, & magis infra patebit

Coroll. Sequitur.

Quod si satisfactio sacramentalis non dicitur, quia pro culpa satis facit simpliciter (quia pro culpa satis facit, tertia & quarta pœna) sed quia pro culpa secundum statuta ecclesiæ satisfacit. Maxime enim deo satisficit per nouam uitam &c.

**SED PER SCRIPTURAS** quoq; probandum est, nō requiri aliquam satisfactionē pro peccatis. Hic adest Ioannes Baptista, qui in hoc missus secundū propositum, atq; decretum dei, ut pœnitentiam prædicaret, qui & dixit, Pœnitentiā agite. Et iterū, Agite itaq; dignos fructus pœnitentiæ. quæ uerba ipse exposuit, cum interrogantibus turbis quid facerent, respondit, Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui escas habet, similiter faciat. Nōne uides quod pro pœnitentiā non nisi obseruantiam præceptorum dei imposuit, atq; ideo pœnitentiā, nō nisi conuersionem & mutationem nouæ uitæ intelligi uoluit.

Sed clarius. Ecce uenerunt publicani & dixerunt, Magister quid faciemus. At ille dixit, Nihil amplius quam quod constitutum est uobis, faciatis. Nūquid hic dixit, oportet uos satisfacere pro præteritis peccatis? Item militibus dixit, Neminem con-

curiatis, nemini calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis uestris. Nunquid hic aliud q̄ præcepta dei cōmunia imposuit? Quod si hic pœnitentiæ doctor a deo in hoc ipsum institutus non docuit nos satisfactionem, nimirum fefellit nos, nec satis docuit pœnitentiæ officium.

Secundus Ezechielis. xvij. Si conuersus fuerit impius ab impietate sua & fecerit iudicium & iustitiam, uita uiuet & nō morietur, ecce nil nisi iudicium & iustitiam imponit, quæ tota uita facienda sunt, iuxta illud, Beati qui faciūt iudicium & iustitiam in omni tempore. Etiam hic ergo nos fefellit.

Tertius, Micheas vi. Indicabo tibi o homo, quid sit bonū, & quid dominus requirata te, utiq; facere iudiciū, & diligere misericordiam, & ambulare sollicitum cum deo tuo. Vides quid requirat ab homine deus pro satisfactione, deniq; præmittens irridet eos, qui per opera satisfacere uolunt d. Quid dignū offerā domino: Nunquid ei offeram holocaustomata, & uitulos anniculos: Nunquid placari potest in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum: Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum uentris mei pro peccato animæ meæ: q. d. non, quia deus pro peccato nulla talia requirit, sed iudiciū, & misericordiā, & timorem, ut dictum est, id est, nouam uitam

CONCLUSIO VI.

Papa non potest remittere ullam culpā, nisi declarando & approbando remissam a deo, aut certe remittendo casus reuatos sibi, quibus contemptis, culpa prorsus remaneret.

PRIMA pars est tam manifesta, ut etiam confessi sint quidā esse impropiam orationem, quādo papa dat remissionem culpæ. Alij uero se non intelligere, omnes enim confitentur a solo deo remitti culpam secundū illud Esaia xliij. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum nō recordabor. Et Ioan. iij. Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et Psal. cxxix. Si iniquitates obseruaueris domine dñe quis sustinebit: Quia apud te propitiatio est. Et infra, Apud dominū misericordia, & copiosa apud eum redemptio, Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Et psalmo. L. Cor mundum crea in me deus &c. Multa alia in scrip. Et B. Augusti-